



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 26 ad 50

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1761

VD18 15558428-001

Psalmus XLII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53361](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53361)

cùm tu sis spes, & fortitudo mea? Unde, inquam, accidit, ut contristatus incedam, dum affligit me inimicus, cùm tu sis protector, & adiutor meus?

¶. 14. *Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.*

¶. 15. *Dum dicunt mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*

¶. 16. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.*

Non solùm affligit me inimicus, te vidente, & spectante, qui susceptor meus es; sed etiam, dum ad summam debilitatem, & infirmitatem devenio, ut tentationes vix jam ferre possim, illi ipsi, qui me persequuntur, & tribulant, exprobraverunt mihi fiduciam, quam in te habeo: dicunt enim, *ubi est Deus tuus, quem tu adiutorem, & protectorem tuum esse jactabas?* Sed tamen, quamvis ad horam turbatus, & contristatus, se ipse reprehendebat, & dicebat, *Quare tristis &c.* Vide ¶. 6. & 7.

PSALMUS XLII.

Titulus, & argumentum: *Psalmus David.*

Psal-

Psalmus hic est quasi appendix, vel potiùs epitome Psalmi superioris. Precatur David à Deo liberationem ab inimicis, & simul consolatur se spe futuræ beatitudinis.

v. 1. Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me.

Videtur David oppressus fuisse vel à Rege Saule, vel tentatus graviter à dæmonibus. Tu, Deus, esto judex meus, non enim habeo, ad quem pro justitiâ confugiam, nisi ad Te. Tu agnosce causam, & eam judica, quæ mihi intenditur ab hominibus iniquis; & per hoc judicium libera me à quovis homine iniquo, & doloso.

v. 2. Quia tu es Deus fortitudo mea; quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Est familiaris, & ex fiduciâ in Deum procedens ex postulatio. Cùm Tu sis fortitudo mea, in quâ unicè confidam, unde fit, ut me repulisse videaris, & ego tanquam à gratiâ repulsus tristis incedam, dum affligit &c.

v. 3. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

David, vir verè spiritualis, sollicitus est

est de liberatione non tam à malis temporali-
 bus, quàm à periculis peccatorum, &
 amissionis æternæ vitæ. Concede mihi
 lucem gratiæ, & misericordiæ tuæ, & ve-
 ritatem, ac fidelitatem tuam: *ipsa enim me
 deducunt in hâc periculosâ peregrinatione;
 & adducent in montem sanctum tuum, ubi cæle-
 stis est Jerusalem, & in tabernacula tua, in
 ipsam domum tuam, ubi sunt multæ man-
 siones pro electis tuis.* David hîc, more
 prophetico, futura per tempus præteri-
 tum explicat ad certitudinem rerum indi-
 candam.

*v. 4. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui
 lætificat juventutem meam.*

Explicat, quid facturus sit in monte san-
 cto. *Introibo ad altare Dei, sacrificaturus sa-
 crificium laudis: omnes enim continuò
 ibi Sacerdotes fiunt, juxta illud Apoc. 5.:
 Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes.*
 Imò etiam coram ipso Deo apparebo, qua-
 si in intimum ejus cubiculum introductus;
 ad Deum, inquam, qui lætificat novam
 juventutem meam: nam in patriâ *renova-
 bitur sicut aquila juvenus nostra. Ps. 102. & ad
 Ephes. 4. Occurremus omnes in virum perfectum,
 in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

*v. 5. Confitebor tibi in cithara Deus Deus
 meus*

meus: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Ÿ. 6. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.

Explicat clariùs rationem sacrificii. Laudabo Te, confitendo misericordias tuas, justitias tuas, omnia denique mirabilia tua; & laudabo non solùm ore, sed etiam opere: tunc enim optimè concordabunt cantus, & cithara, h. e. voces, & opera; quæ duo in hâc vitâ rarò concordant. Cetera vide Ps. 41. Ÿ. 6. & 7.

PSALMUS XLIII.

Titulus: *In finem filiis Core ad intellectum.*
Vide tit. Ps. 41.

Argumentum: Græci, ut Chrysof. Theodoret. Euthym. docent, Psalmum hunc cantari in personâ Machabeorum, qui gravissimas calamitates ab Antiocho, aliisque Regibus Syria, vel Ægypti passi sunt; Latini, ut Ambr. Hieron. Aug. volunt, hic exprimi voces SS. Martyrum Christi: Sed conciliari possunt hæ Patrum sententia, si dicamus, Psalmum pertinere & ad Machabeos, & ad Christianos: similes enim persecutiones utrique passi sunt, & propter eandem causam, confessionem, & legem ejusdem Dei. Sicut enim hic Psalmus non solùm pertinet ad Martyres sub Nerone, sed etiam